



1166.

Dwitz Kist

W Rm

1062

17

DE  
**SANGVINE IESV CHRISTI**  
RECTE ET SALVTARITER EXPENO  
DOCENTIBVS IVXTA ATQVE DISCENTIEBVS  
IN SCHOLIS NON MINVS QVAM IN TEMPLIS  
AD OFFICIA SVA DILIGENTER OBEVND<sup>A</sup>  
INCITAMENTO MAXIMO  
MELETEMA

---

QVO  
**AD EXERCITATIONEM  
ORATORIAM**

IN MARTINEO HALBERSTADIENSI  
AD D. XII. NOVEMB. HOR. VIII. ANTEMERID. CIO IO CC LI  
DEO PROPITIO AVXILIANTE FVTVRAM  
EA QVA PAR EST OBSERVANTIA  
INVITAT

M. CHRISTIANVS FRIDER. HERTEL

AD AED. SPIR. S. PAST. ET MARTIN. RECT.

HALBERSTADII LITTERIS FRIDERICIANIS

15.


# SANGUINE IESU CHRISTI

RECTE ET SALVATORITER EXPONENDO

DOCUMENTA HISTORICA ET LITERARIA

## Synopsis.

Scholae et templa sunt eadem, et utrobique discentium profectus non numquam debent explorari, §. I. Variis modis, quibus discentium industriam exacuere volunt docentes, hi non adsequuntur finem optatum, §. II. Ut docentibus et discentibus adiificantur calcaria, filii sui deus expendendum proponit sanguinem, per quem quid intelligatur, §. III. Ad oblationem, quod, quae iam proferuntur, satis sint cognita, respondetur, §. IIII. Abusus sanguinis Christi fuit quondam, et abhuc hodie est, maximus, §. V. Hominibus a natura corruptis insidet inimicitia in Christum, eiusque sanguinem, per quem uero ita desiderantes iustificantur et sanctificantur, §. VI. Quid adiumenti sanguis Christi praebeat scholarum templorumque doctoribus in officio obeundō, §. VII. Quid in mentibus discentium, sive in scholis, sive in templis, Iesu Christi officiat sanguis salutariter expensis, §. VIII. Dictis nostris quid sacrae litterae adferant lumen, §. VIII. Docentes ac discentes rogantur, uelint enti, ut per sanguinem Iesu Christi officio suo satisfaciant, perque eundem reges fiant atque sacerdotes, §. X.



§. I.

BERIORIS doctrinarum diuinitus pates factarum cognitionis hauriendae causa ubi congregamur, tempa nostra, quum nihil sint aliud, quam scholae, sive inferiores respicias, sive superiores, quibus pueri atque adolescentes uariarum rerum consequuntur scientiam: mirari subibit neminem, nos erudientes in utrisque locis ac docendos coniugare, et ueluti consarcinare. Vtrobique uera salutis risque numinis notitia fideliter tradatur, auideque arripiatur; eidemque alia ab hominum industria originem trahentia, et ad huius uitae commoda referenda, in scholis, maioribus praesertim atque illustribus, adiungantur. Idem uero et docentibus et discentibus debet esse propostum, ut illi prodesse uelint, hi proficerent. Hinc quemadmodum discipuli in scholis nostris, et studiosi ex academiis reduces, suam ten-

A

xari



tari eruditionem patiuntur: ita etiam templorum limina calcantium profectus, ab iis, quibus conscientia, et muneric ratio, id iniungit, sunt explorandi. Quod si, eo, quo par est, modo, fieret, intellegatur essent prudentiores, istos adultiores, qui per annos longe plurimos uerba facientem ex pulpito sacro audiuerunt, saepe non modo nihil didicisse, sed magnam etiam partem dogmatum in scholis perceptorum dedidicisse. Culpa uero cui sit attribuenda, auditori soli, an persaepe etiam doctori, quaestio est indaginis altioris.

### §. II.

**AD** officium suum dextre excludendum, quibus modis docentes non minus inflammari debent, quam discentes; iam diu omnia a sapientioribus sunt pertentata. Etenim rerum doctrina capienda rum, earumque utilissimarum et excellentissimarum, contemplatio; praemia, industriis doctoribus proposita, atque auditoribus; uaria incitamenta, et pro diuersitate aetatis atque indolis hominum adiuncta; alia praeterea a bonae methodi, hominumque animos adlicendi artis, haud ignaris excogitata, finem adsequi uisa sunt exoptatum. At ab humana qui ducuntur prudentia, in hac ipsa re saepius uehementer esse deceptos, non a me solo, sed innumeris aliis, satis est perspectum.

### §. III.

**BENEFICENTISSIMVS** interim quum omnino uelit **DEVS**, ut mortales ad ea pertingant, quae ipsis opportuna sunt, uereque salutaria; adeoque in uotis etiam ueluti habeat, ut, qui uiam monstrare, quique calcare debent, qua ad prosperitatem beatitudinemque perdu-

perducimur, officium suum, ratione uoluntati supremae conformi, meminerint: aliquid, ob diuinum suum infinitumque ualorem, hominum angelorumque linguis numquam satis extollendum, in litteris proponit sanctioribus, diligentissime considerandum, inque usus salutares conuertendum; sanguinem innuo seruatoris optimi Θεανθρηκον, diuino-humanum, per typos prioris foederis adumbratum. Per hunc ipsum sanguinem diuiniores litterae non intellectum modo uolunt illum materialem filii Dei; sed omnes etiam cruciatus, quos Christus, dum iustitiae diuinae pro totius mundi peccatis satisfacere adnitezebatur, magnam uim sanguinis profundendo, prompto alacrique perpeffus est animo. Immo obsequium cum merito summo coniunctum patri caelesti praefitum hoc sanguine simul nouimus esse inclusum; quippe in cruenta et acerbissima morte obeunda, optimi seruatoris summa animi propensio ad patris aeterni nutum sese accommodandi, sancteque iratum Deum placatum efficiendi, ratione emicuit stupenda. Quocirca uirorum diuina luce collustratorum pronunciata, AET. XX, 28. Col. I, 14. 1 Petr. I, 19. 1 Io. I, 7. heic sunt perpendenda.

## §. III.

NEC uero ab hoc meo proposito, hancce rem cognitione longe dignissimam aliquantum contemplandi, ideo deflectam, quando quis forsan obiiciat, me nihil noui ad doctrinas adferre theologicas. Apicem sanctorum dogmatum, salutem hominum aeternam respicientium, adhuc hodie esse, uti inde ab ecclesiae fuit incunabulis, hoc ipsum dogma de sanguine redemptoris diuino. Hanc ideo, pergit, pacis nostrae, ut ex uate diuinitus admonito loquendi formula pertatur,

A 2



tatur, (\*) disciplinam, cuius aetati, in templo atque in schola, propone; quum omni tempore, tum illo in primis, quo cruciatum seruatoris memoriam ecclesia sibi sumit recolendam. Rem ita se habere, laboremque nostrum, quem iam suscipimus, esse superuacaneum, ipsi censeremus, nisi plerorumque hominum uitae ratio institutione, pretii seruatoris sanguini statuendi proderet ignorationem. Ex degendae uitae genere, quod sibi homines constituant, facile colligi potest, quid Christi sanguini insit efficacia, se numquam esse expertos. Pertritus uero hic uiuendi cursus, quem homines sequuntur, commonstrat, aut eos, qui ecclesiae doctores se praedicari uolunt, multo praestantissimam de sanguine Christi doctrinam non dilucide satis explanasse; aut malos auditores in eadem, quae solleter ac fidelissime tradita erat, recte adhibenda, animum, curam et cogitationem non posuisse. Quod si omnium saluberrima, quae praecipiuntur de sanguine Christi, minus recte percipiuntur, ab usu operum et beneficiorum Dei uero, in regno gratiae, immo etiam naturae, (\*\*) excluduntur.

### §. V.

FINGERE uero saepe sibimet sanguinis Christi usum mortales,

haud

(\*) IES. LIII, 5. hebr.

(\*\*) Beneficiis, etiam in regno naturae, hominem non nisi Deo per sanguinem Christi reconciliatum, recte, et ex uoto, frui posse, theologus de ecclesia Christi immortaliter meritus, summe uenerabilis abbas, IO. AD. STEINMETZIVS, commonstrat in praefatione ad librum, qui inscribitur: Geistliche Gedichte der Fräulein Augusta Elisabeth von Postelwitz, gebornen Freyin von Postelwitz, Magdeburg, 1751, Bl. 14. 15.



5

haud quaquam comprobandum, experientia duce, non minus considerimus, quam ex historia ecclesiastica. Haec docet, usos esse non nullos, in epistolis conscribendis, loco atramenti, seruatoris sanguine, uel potius uino consecrato. Etenim quum dirarum fierent obnunciationes, sive litterae, uti uulgo loquimur, excommunicationes aduersus haereticos essent exaranda; aut si cui munus abrogandum, aut res paullo grauior subscriptione confirmanda: sanguinem Iesu Christi ex calice benedicto hauriri debere, eoque subscriptionem fieri posse efficaciorum, crediderunt (\*). Quem sicuti haud quisquam rei tam sacrae excusabit abusum, aut hodie imitandum putabit: ita esset optandum, ut, si non grauior, certe non leuior, repfisset, ex quo homines minus praeparati, adeoque indignissimi, ad sacram illud epulum, a Christo, paullo ante mortem, institutum, inconsulte ac temere accedunt. Quam igitur dolet atque horrescit diuini uerbi minister paullo religiosior, quando, gratiarum actionis poculum porrigendo, facile coniicit, plurimos ex eodem bibentes pretiosissimum noui foederis sanguinem iudicare impurum, (\*\*) nefando modo, immo pororum canumque ritu, (\*\*\*) pedibus eundem conculcare.

A 3

S. VI.

(\*) Conferri, si placet, potest, B. IO. ANDR. SCHMIDII disp. de litteris sanguine Iesu Christi firmatis, Helmst. 1713. et GEORG. HENR. GOETZII, sacrorum Lubecens. quondam antistitis, dissert. de subscriptionibus sanguine humano firmatis, addito rubro germanico: Von Unterschreibungen, die mit Menschenblute geschehen. Lubecae, 1724.

(\*\*) HEBR. X. 29.    (\*\*\*) MATTH. VII. 6.



## §. VI.

QVI igitur rectus salutarisque sanguinis huius diuini usus sit, id iam paucis inuestigemus; quemadmodum hoc ipsum, qui christianus uere uult haberi, unicuique, id putamus esse faciendum. Tantum uero id abesse intelligimus, ut homines in sanguine hoc inaestimabili, legitimoque illius usu, omnem ponant cogitationem, ut praefracte etiam monitoribus suis repugnant. Vitiosae, cui mortales uiunt congruenter, naturae talis est instinctus, ut ipsis in nullam rem tam grauis, licet tacita et occulta, sit inimicitia, quam aduersus redemptorem suum, eiusque sanguinem pretiosissimum. Re alia nulla si id miseri probarent, planum certe facerent peccatis suis, testibus tamquam locupletissimis. Nefarios uero gratiae diuinae, beneficiorumque ab optimo seruatore in ipsos collocandorum, se se contentores, inde patescit, quod salubrioribus caelestis spiritus se subiicere nolint castigationibus, adeoque respiscere haud incipient. Quando uero uulnera per diuinae legis transgressiones sibi inficta, ac nondum obligata, cum stupore animaduertunt: tunc statim seruatoris uulnera auro gemmisque ipsis erunt cariora: quippe per quae caelum nubibus huc usque ueluti obscuratum, serenum atque apertum intuentur. Confidentialissime igitur Christo se totos committunt pacificatori, eiusque sibi iustitiam, cruenta morte partam, vindicando, summa animi intelligentia uoluptate, se a laudato reconciliatore iustos et infontes declarari, sibique ueniam dari atque impunitatem. Nec nisi laetissimi sentiunt, ad piacula fontem sibi esse apertum seruatoris sanguinem; (\*) eodemque conspergi, optimo

---

(\*) ZACHAR. XIII, 1.

mo tamquam condimento, opera et actiones suas; adeoque ad bonorum caelestium possessionem patescere aditum, huc usque obstruatum.

## §. VII.

QVAE quum ita sint, nemini mirum uideri potest, nos sanguini Iesu Christi, in animis docentium dissentientiumque commouendis, uim tribuere acerrimam. Proinde qui, siue in scholis, siue in templis, docentium munere funguntur, dummodo in iustificatione sic dicta, siue in criminum suorum depulsione, se morte seruatoris, numinis graui culpa laesi amissam recollegisse benevolentiam, senserunt; hi, inquam, quorum, proh dolor! sunt paucissimi, a certo ueroque iudicabunt sensu, se, quibus sanguis Christi semper adiicit calcaria, haud quaquam committere posse, ut partes suae requirantur. Satis habent cognitum, non ideo tormenta inter uehementissima, seruatoris profusum esse sanguinem, huius ipsius auxilio ut ii, qui doctores caeli compita monstrantes uolunt uideri, auri tamen argenteique plurimum corrasuri, pinguibus, ac suae congruentibus atauritiae, inhident muneribus. Sed transeat carcinomata haec sacra. Omissum nos reuocant in tramitem serui Christi fideatores, ab illis rejectaneis longa intercapedine disiuncti. Maxima tacti misericordia, diuini deprecatoris nostri, sanguis adhuc ueluti tepidus, ipsorum ita, in natuitate noua, respersit praecordia, ut omnium hominum ipsos commiserescat, eorum in primis, quos auditores in templo atque in schola a numinis prouidentia sibi datos agnoscunt. Namque illos, qui rationale et alienum a fraude lac  
apperunt,



appetunt, (\*) erudituri, qua ratione ad dulcedinem caelestissimarum doctrinarum perueniant degustandam: quantum pretii hominum mentibus diuino sanguine ab acherunte redemptis sit faciendum, bene perpendunt; adeoque precibus indefessis, ac meditatione diligentissima, accingunt se ad grauiissimum, curaque intentiore dignissimum, negotium rite peragendum. Quapropter, quidquid ad regnum seruatoris amplificandum ineunt consiliorum, eo spectat, ut viam salutis docendos coarguant, caput, et rerum in doctrina christiana cognoscendarum summam, consistere in seruatoris sanguine rite ponderato, inque dies magis ponderando. Hunc igitur esse, contendunt, qui peccatorum molem, iraeque diuinæ gravitatem, in oculis nostris constituat; qui uero etiam summam animo adserat iucunditatem atque solatium; quique ad pietatem DEO tribuendam nos acriter impellat. Atque ubi haec de diuino sanguinis Christi valore proponantur, non dignorem credimus locum esse templum, quam scholam: quum nulla in toto terrarum orbe detur regio, quae ad gloriam Christi manifestandam non sit accommodata. Scholarum certe et minorum, et maiorum atque celebriorum, doctores recte sentient, sanguinem seruatoris esse incitamentum ad labores duriores sustinendos, adleuamentum in molestiis perferendis, adiumentum praestantisimum in moribus iuuentutis emolliendis, totaque uita salutariter emendanda.

§. VIII.

(\*) I PETR, II, 2.



9

### §. VIII.

EST profecto in seruatoris sanguine, ab homine fidenter sibi vindicato, haec tanta uis, quae eumdem, uirium suarum imbecillitatis haud immemorem, corroborat, et ad officia sua impigre exse- quenda stimulat. Atque hoc experiuntur etiam, qui mentis expo- liendae, doctrinarumque, quas ad salutem suam conducere arbitrantur, caussa, templorum scholarumque occupant subsellia. Quod enim ad auditores priore loco dictos attinet, hi ipsi, quid Christi sanguis ualeat efficiatque, si recte pensitant, oraculorum diuinorum interpretem, summo numini, ob fidem probatam, carissimum, deamabunt, illiusque sermonibus sacris, seruatoris sanguine ueluti stillantibus, duriore modo nequaquam adacti, intererunt. Fructus ex eiusmodi homiliis, minime uero ex aliis, certos percipient et uberrimos; atque ad per- agenda ea omnia, quae seruatori grata et accepta sunt, semet sentient prouocatos. Neque minus etiam, qui descendit caussa in scholis conueniunt, siue qui prima rudimenta et primos exigunt annos, siue qui artium scientiarumque disciplinis, prouectiore aetate uberioris excolendis, sele addicunt; hi omnes, animo ad uerum sanguinis Christi usum appulso, ex eo ipso maxima habebunt emolumenta. Quando enim, ut unicum adducam, peccatis suis se pressisse, uitiisque fatigasse (\*) seruatorem cruentatum intelligunt: tunc profecto, in litterarum studiis prosequendis, parcere, honoris DEI, redemptorisque de nobis tantopere meriti, amplificandi caussa, se nulli debere labori, neutiquam dubitabunt.

### §. VIII.

ATQVE ut a nobis usque adhuc dictis lumen paeferatur  
claris-

---

(\*) IES. XXXXIII. 24.

clarissimum, producamus, attentoque animo excipiamus, quae Paullus habet apostolus, in litteris ad Hebraeos exaratis cap. VIII. comm. 12. 13. 14. Namque quando illic, purgare nos a mortuis operibus Christi sanguinem, diuinus uir adfirmat, ut uiuentem, eo, quo par est, modo, DEVVM colamus: haec ad docentes et discentes esse omnino referenda, eorumque mentibus natura remissis sanguinem illum laudatissimum, praeclarum tamquam et efficax remedium, dummodo non dissolute renuant, ita posse applicari, ut impediatur, quo minus hi ipsi, qui tradunt doctrinas, et qui eas percipiunt, languori se desidiaque dedant, nemini de hoc putamus esse ambigendum. Congruentia scopo nostro, quae hic subiecti possent ad uerba Paulli in modo commemoratis ad Hebraeos litteris cap. X. comm. 19. nec non ad ea satis nota, quae in priore epistola sua cap. I. comm. 18. 19. Petrus, legatus itidem diuinus, pronunciauit, iis non immoramus: utpote qui, quomodo huc pertineant, a quo quis id coniici posse lectorre, facile credimus.

### §. X.

DIVINIORIEVS hisce effatis utinam omnium optimis rebus alios instituentium, adeoque etiam ipsorum in templis ac scholis condocefaciendorum animi flecterentur, ut Iesu Christi, crucis, ligno adfixi, iam uero aeterna gloria cum patre et spiritu florentis, meritisque in genus humanum infinitis conspicui, sanguinem rem sibi efficerent longe notissimam, ut, toti ad voluntatem nutumque Dei O. M. conuersi, uires inde haberent, negotia sua bene ac sapienter tractandi. At enim in docentium discentiumque ordine copia eorum datur, proh dolor! minima, qui, quidquid pollut, ac laudabile perficiunt, morti cruentae seruatoris iam exaltati, ciusque

que intercessioni, ac uirtuti, nullis terminis definitae, adscribunt. Hominem sibimet ipsi nimium sapere, nimium credere, adeoque nimiam in ingenii sui facultatibus collocare fiduciam, in consuetudine cum aliis quotidiana dolentes intelligimus. Nam tametsi homini tantum adhuc superest uirium naturalium, ut in societate hominum et coniunctione seruanda suum alteri alter persoluere possit officium, et, quae muneris functio requirit, procurare: exploratum tamen habemus, quae a nobis agenda suscipiuntur omnia, summo numini gratiore et acceptiore modo, aliorum commodis longe conuenientiore, nobis uero ipsis ad maiorem animo uoluptatem conciliandam, omnino aptiore, expeditum iri, si, ob secundum numinis fauorem seruatoris sanguine partum, lumen nobis porrigitur diuinum, mentis nostrae, optimi semper eligendi nesciae, caliginem discutiens. Is ipse sanguis adhuc tamquam calidus, in officio cuiilibet delato omnia considerate ac diligentissime faciendi, instinctu quodam diuino neminem non concitat. Atque quum ex magno docentium et discendentium numero id ipsum paucissimi, eo, quo conuenit, studio, expendant: illos oramus obtestamurque, uelint, ut in posterum maioris aestimare dicant sanguinem Iesu Christi diuinum, quae Joannes habet in apocalypsi sua cap. I. comm. 6. sine intermissione referre ad animum. Sanguinem enim, qui nos Deo dominique ac seruatoris nostri patri, reges et sacerdotes facere potest, et qui quam plurima hominum millia iam diu effecit, quoslibet adhuc homines, huiusc ipsis supplices ueneratores, peccatorum licet coeno oblitos, ab eodem esse depurgaturum, atque solii reconciliatoris sui confortes facturum, putamus fore neminem, fidem sacris litteris tribuentem, qui uelit, aut possit, insciari.

## Die Namen und Themata der Redner.

1. Johann Christoph Gottfried Altsleben,  
aus Halberstadt, von dem, was wunderbar ist bey dem natürlichen  
Lichte; vor welchem gleichwohl das göttliche Gnadenlicht in der Seele,  
und insonderheit das ewige Licht, der Sohn Gottes, der in die Welt  
gekommen, alle Menschen zu erleuchten, einen grossen Vorzug be-  
hauptet, französisch.

2. Johann Ignatius Geier,  
aus Halberstadt, von der Menschwerbung Jesu Christi, als einem  
Hauptgrunde unsers Vertrauens auf Gott, in einem teutschen trochais-  
schen Gedichte.

3. Anton Johann Christian Probsthan,  
von Harsleben, von der Geburt unsers grossen Versöhners und Wieder-  
herstellers, der uns durch die Menschwerbung zu seinen Brüdern erwehlen,  
und der göttlichen Natur, nach 2. Petri 1, v. 4. teilhaftig machen  
will, in einem lateinischen alcaischen Gedichte.

4. Johann Wilhelm Preiß,  
von Thüringenhausen im schwarzburgischen, von den berühmten Wage-  
hälzen des russischen Reichs, den falschen Demetriis, teutsch. Es  
werden Erinnerungen hinzugefügt, die auf die Verhütung des Lasters  
der Vermessenheit und Tollkünigkeit zielen.

5. Friedrich Wilhelm Balthasar Bergmann,  
aus Halberstadt, von den unrichtigen Urteilen und Schlüssen der  
Menschen, wie überhaupt, also vornehmlich in Ansehung der Religion,  
und der Menschwerbung unsers Erlösers, lateinisch.

6. Johann Gottfried Starke,  
von Mansleben im magdeburgischen, von den wichtigsten Lebens-  
umständen des berühmten Erzbischofs zu Upsal in Schweden, Benzilius;  
sonder-

sonderlich von den Merkwürdigkeiten seiner ehemaligen Reisen. Die Gelegenheit zu dieser teutschen Riede gibt die Königliche Eröning in Schweden, welche durch diesen Prälaten pflegt verrichtet zu werden.

**7. Eberhard Friedrich Just Müller,**  
aus Halberstadt, von den ehemaligen Aufzügen des so genannten heiligen Christes, als einem grossen Greuel in der Christenheit. Wobey im Schlusse dieser lateinischen Riede von dem comodianthastigen Christenthume der mehren Menschen etwas berüre wird.

**8. Johann Friedrich August Ringlieb,**  
von Guntersberg im Anhalt-Bernburgischen, von den edelsten Sittenlehren, deren Erkenntnis die heidnischen Weltweisen nicht ihrem Verstande, sondern der heiligen Schrift, die unter ihnen nicht ganz unbekannt gewesen, danken müssen. Wobey in dieser lateinischen Riede gezeigt wird, wie diese Weisen von der Versöhnung mit dem höchsten Wesen, welche die Menschwerbung des Sohns eines ewigen Vaters zum Grunde hat, durch ihre sich selbst gelassene Vernunft nichts haben einsehen können.

**9. Johann Friedrich Jochmus,**  
von Oschersleben, von der verschiedenen Art zu denken unter den Menschen, teutsch. Der Eingang handelt von der wunderbaren Verschiedenheit der menschlichen Gesichter. Und der Beschluss wird mit danken und wünschen gemacht.

### Texte zur Musik.

#### Zum Anfange.

Lit. 2. v. 11. 12. 13.

Es ist erschienen die heilsame Gnade Gottes allen Menschen, und züchtigt uns, daß wir sollen verläugnen das ungodliche Wesen, und die weltlichen Lüste, und züchtig, gerecht und gottselig leben in dieser Welt, und warten auf die selige Hoffnung und Erscheinung der Herrlichkeit des grossen Gottes, und unsers Heilandes Jesu Christi.

Nach



### Nach der ersten Rede.

Das ewige Licht geht da herein, gibt  
der Welt einen neuen Schein; es leuchtet  
wol mitten in der Nacht, und uns des  
Lichtes Kinder macht, Kyrieleis.

Das hat er alles uns gethan, seine  
große Liebe zu zeigen an. Des freut sich  
alle Christenheit, und dankt ihm des in  
Ewigkeit, Kyrieleis.

### Nach der dritten Rede.

Abglanz jener Herrlichkeiten,  
Ursprung jener Himmelspracht,  
Du hilfst uns aus Dunkelheiten,  
Du bist, der uns göttlich macht,  
Du steigt von den höchsten Thronen,  
Willst in unserm Fleische wohnen,  
Und dein Herz erklärt sich  
Gegen alle brüderlich.

Nach der fünften Rede.  
Ach! je mehr ich armer denke,  
Und sich dieser Geist bewegt:  
Je mehr ich in Not mich senke,  
Und je mehr sich Wehmuth regt.  
Was nutzt meiner Schlüsse Kraft,  
Wenn kein Mensch mir Hilfe schaft.  
Endlich muss ich doch gewinnen,  
Wenn ich schon verloren schien,  
Sammlst auch, zerstreute Sinnen,  
Mein Glück will vom neuen blin.  
Gott wird Mensch auf Heu und Stroh;  
Nun werd ich der Menschheit froh.

Nach der siebenden Rede.  
Eröffne dich, du Schauplatz dieser Erden,  
Und zeig uns Menschen an,

### Zum Beschlusse.

Psalm. 117.

Lobet den Herrn, alle Heiden, preiset ihn, alle Völker. Denn seine Gnade und Wahrheit waltet über uns in Ewigkeit, Halleluja.



So nicht ein Traum und falscher Wahnsinn  
Lässt Christen werden;

Die sich von Gott belebet fühlen,  
Und scharf auf jenes Kleinod zielen.

O unvergängliches Christenthum!

Wie lange sieht man sich nach dir verge-

bens um.

Ein jeder lebt nach seiner Phantasie,  
Und sucht, mit Thorheit wohl begabet,  
Was seine Luste lobet,

Kann als ein halber Mensch, mehr' als  
ein halbes Vieh!

Zwar wird durch Lust die Lust verhöhlt,  
Die eitler Menschen Wunsch erfüllt,

Wenn diese, bey den scheinbar schönen  
Werken,

Die andern, und sich selbst, in blinder Weit-

nung stärken.

Geht immerhin in reicher Zahl

Zur Kirch, und jenem theuren Abendmal!

Geh vor, bey einem argen Triebe,

Ihr hättest Glauben und die Liebe.

Fehlt euch die Sinnesänderung,

Und wahre Heiligung:

So wisset, die Verstellungskünste

Sind blosse Dünste.

O treibt doch länger nicht die Gaukleyen,  
Und macht euch vor euch selbsten frey.

### Nach der achten Rede.

Mit viel Vernunft begabte Weisen,

Ich will euch als vollkommne preisen,

Wo euer Witz das Mittel kennt,

So man mit Recht höchst schätzbar nennt,

Dass sich der Mensch mit Gott versöhn,


Und ihn der Freude Gottes kennt.

AB 1539 A




St. 6.

V017



B.I.G.



DE  
**SANGVINE IESV CHRISTI**  
RECTE ET SALVTARITER EXPENSO  
DOCENTIBVS IVXTA ATQVE DISCENTIEVS  
IN SCHOLIS NON MINVS QVAM IN TEMPLIS  
AD OFFICIA SVA DILIGENTER OBEVNDA  
INCITAMENTO MAXIMO  
MELETEMA

QVO  
**AD EXERCITATIONEM  
ORATORIAM**

IN MARTINEO HALBERSTADIensi  
AD D. XII. NOVEMB. HOR. VIII. ANTEMERID. CIC IO CC LI  
DEO PROPITIO AVXILIANTE FVTVRAM  
EA QVA PAR EST OBSERVANTIA

INVITAT

M. CHRISTIANVS FRIDER. HERTEL

AD AED. SPIR. S. PAST. ET MARTIN. RECT.

HALBERSTADII LITTERIS FRIDERICIANIS

15.